



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Eginhartvs De Vita Caroli Magni, Animadversionibvs Illvstratvs

Bessel, Friedrich  
Reinhard, Johann Friedrich

Helmeftadii, 1667

Capvt IX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10996**

pus occupavit. Similiter ex Matthæo Florentino, *Collector Chronici Belgici* fol. 40. & Helmoldus *Chron. Sclav. lib. 1. cap. 3.* Henricus tamen Meibomius, *Notis ad Vitich. Annal. pag. 44.* annos præcisè xxxii impletos supputat, ex *litteris Rudolphi Episcopi Halberstadenfis.*

## CAPVT IX.

1. **C**Um enim assiduo ac penè continuo cum Saxonibus bello certaretur, dispositis per congrua confinium loca præfidis, Hispaniam quam maximo poterat belli apparatu aggreditur, saltuque Pyrenæi superato, omnibus quæ adierat oppidis atque castellis in deditioem acceptis, salvo atque incolumi exercitu revertitur. † Præter quod in ipso Pyrenæi jugo Vasconicam perfidiam parumper in redeundo contigit experiri. † Nam cum agmine longo, ut loci & angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, Vascones in summi montis vertice positos insidiis, (est enim locus ex opacitate Sylvarum, quarum maxima ibi est copia, insidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partem, & eos qui novissimo agmine incedentes, subsidio præcedentes tuebantur, desuper incursantes, in subjectam vallem deiciunt: confertoque cum eis prælio, usque ad unum omnes interficiunt: ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ jam instabat, protekti, summa cum celeritate in diversa disperguntur. † Adjuvabat in hoc factò Vascones & levitas armorum, & loci in quo res gerebatur situs. † E contra Francos & armorum gravitas, & loci iniquitas per omnia Vasconibus reddidit impares. † In quò prælio Eghartus regis mensæ propositus, Anshelmus comes palatii, & Rutlandus Britannici littoris præfectus, cum aliis compluribus interficiuntur. † Neque hoc factum ad præsens vindicari poterat: quia hostis re perpetrata ita dispersus est, ut nè fama quidem remaneret, \* ubinam gentium quæri potuisset.

\* MS. Flor.  
Novissimi  
agminis.  
Et mox:  
subsidia,

\* Nihil  
quicquam  
de Rutland  
do in Cod.  
Flor.

\* MS. ubi,